



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XXXV.
Lycij rustici in ranas vertuntur.

6. Metam.

Ethicè.

1. Agrestis inhumanitas. 2. Officium peregrinis exhibendum. 3. Maledicentia. 4. Ranæ, typus convitiatorum. 5. Item obiretatorum adversus viros sapientes. 6. Item loquacium. 7. Etiam in minimis magnum datur beneficium.

Cum Latona ex Jove gravida, Junonis Zelotypæ acerbis odijs exagitata, nusquam terrarum locum inveniret, ubi quiesceret & puerperio cubaret, denique in insulam Delon (quæ cum antè fluctuaret, jussu Jovis constitit, Latonæque profugæ ad pariendum locum dedit) delata, gemellos edidit, *Apollinem & Dianam*. Sed neque hic satis tutæ licebat esse; quare collectis properè in sinum parvulis, aufugit inde, inque Lyciam minoris Asiæ provinciam devenit. Fatigata labore viæ, solis aestu, lassitudine ac siti, commodum in valle proxima, stagnantis aquæ lacum conspicatur; in cujus ripis juncos & palustria virgulta colligebant accolæ rustici. Accedens igitur ad lacum, cum inclinato vellet aquam haurire corpore, prohibuerunt id agrestes. Debebat puerperæ, debebat parvulorum aspectus permovere ad humanitatem agrestes: debebat ipsa natura eos admonere officij, nam & hostis undam hosti commodat; sed robore duriora erant Corydonum pectora. Non enim contenti fuere peregrinam barbarè arcuisse à stagno; aquam ipsam commotò, & in superiores partes evocatò limò turbidam, potuque ineptam reddiderunt, convitijs insuper ad inhumanitatem petulanter additis. Non potuit non in iram accendere Divam contumelia; & quia precibus nihil efficiebat bonis, malas in eos strinxit; & optavit, ut crudissimi mortalium perpetuam deinceps in aquis illis vitam degerent. Dictum, factum! subita mutatione in ranas transformantur Mopsi, impetúque factò insiliunt in aquas, humidò se abdunt limò, raucas litibus exercent linguas,

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam,

Z 3

Ethica.

Ethica.

I. (a) Quadrat hæc metamorphosis rectissimè in homines rusticanos, quorum nota est inhospitalitas; qui si peregrinum aliquem viderint, caperata fronte, torvisque oculis in eum intuentur, non aliter, quàm si ex interiore Libya monstrosæ novitatis bestiam contemplarentur. Vestitus dispar, loquela, mores, incessus ab eorum ratione differens, totidem causæ odij. Frustra ab ijs vel haustum frigidæ, vel comem viæ monstrationem petas; nec rarò convitia pro officijs feras. Nil possunt adversùs duritiem verba composita, blanditiæ, preces. Quæ si adhibeas, non plus efficies, quàm Latona cum gemellis suis brachiola tendentibus. Describit cruditatem Naso:

Quem non blanda Deæ potuissent verba movere?
 Hi tamen orantem perstant cohibere: minasque
 Ni procul abscedat, convitiæque insuper addunt,
 Et hoc erat jus ipsum naturæ violare, quod Latona conquesta est:
 Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est;
 Nec solem proprium natura, nec æra fecit,
 Nec tenues undas.

Natura nos finxit, inquit Tullius 1. Offic. ad communicanda officia, adducitque versus Ennii:

Homo, qui erranti comiter ostendit viam,
 Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:
 Nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Quibus verbis præcipitur, ut quod sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto; ex quo sunt illa communia: *Non prohibere aqua profuente: Pari ab igne ignem capere, si quis velit: Consilium fidele deliberanti dare. Quæ sunt his utilia, qui accipiunt, danti non molesta.* Hæc Cicero. Secus fecerunt rustici Lycii, qui non tantum nullum humanitatis officium ostenderunt peregrinis & rogantibus, sed eos insuper injuria affecerunt. Nimirum agrestibus istis robur & æs triplex circa pectus erat, & animus summâ malevolentia corruptus. Quid enim inhumanius, quid barbarius? miseris, supplicibus, in summa necessitate, in peregrino solo, in tenella ætate constitutis negatur haustus aquæ, intentantur minæ, voces in eos maledicæ expromuntur; manibus, pedibus, saltibus aqua, ne quid inde libetur, turbatur, & limosa redditur; Minatur Ecclesiasticus cap. 3. *Cor durum malè habebit in novissimo.* Nam genus hoc *Rana* mutuis sese male-

(a) Agrestis inhumanitas.

maledictis profcindent in stagno ignis ardentis Apocal. c. 19. cum Sociis demonibus, qui ibid. dicuntur de ore draconis & bestia exire in modum ranarum.

II. (b) Lex tam naturæ, quàm divina dicitur, peregrinis humanitatem esse exhibendam. *Peregrino molestus non eris; scitis enim advenarum animas. Quia & ipsi peregrini fuistis in terra Egypti.* Exod. 23. Quibus verbis innuitur, Hospitaliter & humaniter habendos peregrinos; tum quia quicumque inter externos & ignotos versantur, solent esse animo pavido, suspenso, verecundo, ut proinde satis ipsa peregrinatione afflictis, non sit addenda afflictio; tum quia Hebræi experti erant, quàm esset dura peregrinantium conditio; adeoque non ignari malorum discerent succurrere miseris. Habetque hic vel maxime locum illud: *Quod tibi vis fieri, facias alteri.*

III. (c) Etiam Latona non extra culpam est; ferventiùs in imprecationes proflavit, cum

Æternum stagno, dixit, vivatis in isto.

Aliud nos docet Lex, non dicam Christiana, sed etiam ethnica. Cato certè cujusdam probris vexatus, respondit: *Impar mihi tecum certandi conditio est; nam ut malè dicere, & malè audire tibi facillimum est: sic mihi maledicere insuave est, & malè audire insuetum.* Plut. in vita Catonis. Hoc ipsum sæpe accidit viris Religiosis, quando per heterodoxorum provincias, & urbes faciunt iter; quos non rarò juvenus malè morata; opifices sordidi, illiberales, scurriles petulanter diceriis & convitiis infectantur, satisque indicant, hos spiritus ex ore bestie (Hæresis) in modum ranarum exire. Viri tamen cordati & religione inclyti, has, aliàsque contumelias generoso stomacho concoquunt, qualem non habuit Latona.

Lyciorum rusticorum in ranas mutationem festivè describit Naso:

Eveniunt optata Deæ: juvat esse sub undis,
Et modò tota cavâ submergere membra palude,
Nunc proferre caput, summo modò gurgite nare,
Sæpe super ripam stagni consistere, sæpe
In gelidos resilire lacus; sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore,
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant.
Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt,

Ipsaque

(b) Officium peregrinis exhibendum. (c) Maledicentia.

Ipsaque dilatant patulos convitia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur,
Spina viret, venter pars maxima corporis albet:
Limosoque novæ saliunt in gurgite ranæ.

IV. (d) Imago hæc est convitiatorum & calumniatorum; in limo & luto delectamentum quærunt; in sordidis obtreccionibus linguam & dentes exercent. Et ubi non coaxant hoc genus *Rana*: ubi suo strepitu non obtundunt aures? non secus ac ranæ illæ Ægyptiæ, quondam in Pharaönem immissæ. Exod. 8. cibos omnes, vasa, ollas, lances, sedes, mensas, domos, apothecas, penuaria, cubicula, lectos, vias, cunctaque occupantes ac fœdantes. De quibus Philo lib. 1. de vita Mosis. Vix Aaron manum extenderat, cum ranarum tanta vis prorepsit, ut non solum fora compleret, ac loca subdialia; verum & domos, & villas, & cuncta ædificia tam Sacra, quam profana; tam privata, quam publica; haud secus, ac si genus hoc aquatilium missum esset in diversi elementi coloniam; natura mutante rerum vicissitudinem. Hæc Philo. En quò penetrent maledicæ, vel etiam obscenæ linguæ (nam in cœno nascuntur ranæ) quid non fœdent, inquinant, inficiant? In mensis præsertim, & inter computationes spurcitiem suam exerunt, & è fœtenti gutture vel Cyprias sordes eructant, vel purulentas linguas convitiis & contumeliosis sermonibus exercent, probrisque lacerant innocentiam.

V. (e) Ranæ, loquaces & putidæ bestię apud Homerum insanis suis clamoribus Minervæ ipsi molestæ sunt, quæ propterea queritur, sibi infesta ranarum coaxatione caput obtusum, & soporem, quem vel maxime desiderabat, negatum. At si lampadem lacui, in quo tumultuantur ranæ, imminentem appendi cures, repente, ut ajunt, luminis fulgore percussæ conticescunt. Ranæ Calumniatores, ut dixi, sunt, qui, ne Minervæ quidem, hoc est litteratis & virtute claris hominibus parcunt, sed maledicum os in eos stringunt, & molestiam certè, si damnum non possunt, inferre student. Fit tamen, ut, postquam vel obtreccantes linguæ, vel criminatores calami aliorum famam, velut coaxantes ranæ infestare conantur, Veræ virtutis, religionis, ac doctrinæ fulgor, instar lampadis ex alto suspensæ, discussis calumniarum & mendaciorum nebulis longè clariùs emicet, & maledicentia improborum hominum comprimatur, ac obmutescat.

VI. (f) Per ranas intelliguntur etiam garruli, loquaces, clamosi; hi enim quietis amantibus sunt permolesti, turbantque silentium, attentionem,

(d) *Rana typus convitiatorum.* (e) *Obtreccatores litteratorum & proborum virorum.* (f) *Garrula rana, sicut femina, pueri, & quidam senes, ac hæretici.*

nem; pacem domi, in scholis, in templis. Unde Pithagoras dixit hîrundinem (aut ranam) in domum non esse suscipiendam; id est, garrulos & verbosos homines, in familiam non esse admittendos. Huic præcipuè vitio sunt obnoxii pueri & feminae, multa imperitè deblaterantes. Homo Sapiens verba bis ad limam, quam semel ad linguam adhibet; priusque diffcit silere, quàm loqui. Ad hanc tribum pertinent etiam quidam senes, qualis fuit Tithonus, conjux Auroræ, cui immortalitatem ipsa impetravit à Parcis, oblita interim perpetuitatem juventutis poscere. Itaque exaruit, & in cicadam versus est, quæ mutatis exuviis non occidit, animal siccissimum, canorum, garrulum, quæ senectuti conveniunt. Senectus enim naturâ est loquacior, ut scribit M. Tullius in Catone Majore, & sola vox ferè in Senibus remanet. Maxime verò loquaces sunt *Hæretici*, de quibus Terullianus lib. contra Hermog. c. 1. Tales, inquit, loquacitatem, facundiam existimant, impudentiam, constantiam deputant, & maledicere singulis, officium bonæ conscientiaë judicant. Sed sicut ranæ noctu face accensa elinguantur; sic hæretici ac Sophistæ perstricti veritatis luce conticescunt, de quibus Poëta:

Lumine percussæ cessant maledicere ranæ,

Et victus Veri luce Sophista tacet.

Et quemadmodum ranæ gaudent aquâ turbidâ, sic dolosi captatores animarum, malè feriatî ingenij commenta hauriunt è depravata Scripturæ sensis, & ignaræ plebeculæ obtrudunt. Rana, ut Ælianus scribit lib. 12. c. 15. Valido clamore hydrum, serpentem aquatilem, terere conatur; sed ille neglecto clamore prædam arripit, & deglutit. Eum in modum homines multum clamosi, sunt contemnendi; nam ut aiunt, canes timidi vehementiùs latrant. Et bos ranæ se inflanti, ac de magnitudine corporis certare volenti,

----- non si te ruperis, inquit

Par eris.

Applica muliereculis contra viros insurgentibus, & clamoso verborum fonitu sua officia, merita, opes, genus jactantibus, atque ad jurgium provocantibus. Sed cordatus maritus paucis reprimit importunæ linguæ tempestatem, dicitque: *Non si te ruperis, par eris*, femina viro, rabiosula prudenti, tumida contemnentî, loquacula silenti, turbata tranquillo. Idem homini hæretico occine.

VII. (g) Divinis ex oraculis habemus, quanti apud Deum sit

A a

meriti.

(g) *Hauftus frigida quantum beneficium.*

meriti, frigida calicem porrigere sitienti. Latona certè summi loco beneficij duxisset, si haustu aquæ impertita fuisset, hinc ait:

Hauustus aquæ mihi nectar erit, vitamque fatebor

Accepisse: simul vitam dederitis in undis

Optimus pineerna sitis est; aquam in vinum vertit. Exemplorum in hoc genere copia suppetit. *Sisaram* Principem exercitûs Jabini regis, à Jabele, muliere Hebræa aquam petijse, & lac pro nectare bibisse, ex historia sacra constat 4. Judic. Apud M. Tullium lib. 3. Tuscul. quæst. *Darius* rex Persarum (quem Alexander Macedo regno evertit) cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam hausisset, negavit, unquam se bibisse jucundiùs. *Lysimachus* rex Thraciæ, ob ingentem sitim, se, regnùmque suum hostibus scythis, pro aquæ scyphò tradidit; quâ epotâ, exclamâsse fertur: *Dij* immortales! quantillo corporis oblectamento quantum regnum vendidi! Plut. in apophth. regum. *Synata* homo rusticanus regi *Artaxerxi* frigidam è Cyro flumine hausitam, cavâ manuum volâ obtulit; exceptum est munus aureâ phialâ; præmium ferenti mille daricorum nummorum, seu philippeorum repensum. *Ælian.* lib. 1. var. hist. c. 32. Præclarum est, quod refert *Josephus* lib. 18. Antiq. c. 8. *Cajus* Imp. jusserat *Agrippam* Herodis Ascalonitæ nepotem, inter purpuratos adscitum, ob suspicionem criminis, palâm comprehendi, & in vincula conijci. In carcere positus, cum æstu vehementiore & siti arderet, conspicatur fortè quendam è *Cajj* servis, nomine *Thaumastum*, fontanam Domino ferentem; hominem amicè compellat, haustum frigida peti; quâ acceptâ promittit, se, ubi forruna se vinculis exemisset, gratiam relaturum. Respondit eventus. Mortuô *Caiô*, *Agrippa* in solium regni Judaici ascendit, atque ut comprobaret,

Quàm benè apud memores veteris stet gratia facti. 4. *Æn.*

Thaumastum acciri jubet, & primatem regni sui administrum constituit. *De Leone*, tribunitiæ dignitatis viro memorat *Nicephorus* lib. 15. c. 15. & ex eo *Baronius* ad ann. Ch. 458. cum, quòd homini cæco viam ad fontem monstrâisset, ad culmen Imperij Rom. evectum fuisse. *Rebecca*, quod sacrae litteræ Gen. 22. asserunt, propter beneficium aquæ, peregrino (*Eliezeri*, *Abrahami* procuratori) impensum, faustissimum *Isaaci* conjugium indepta est. Et mulier illa Samaritana Joan. 4. quantum retulit pretium ex puteana Christo Servatori oblata? adeò multùm partem in utràmq; refert sitienti vel impertijse, vel negâsse frigidam.

SYM-